



# **Specimen juridicum inaugurale de quaestione an iudici sit inquirendum in causas separationis thori ac mensae, mutuo conjugum consensu petitae**

<https://hdl.handle.net/1874/319680>

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE QUÆSTIONE

AN JUDICI SIT INQUIRENDUM IN CAUSAS SEPA-  
RATIONIS THORI AC MENSÆ, MUTUO  
CONJUGUM CONSENSU PETITÆ.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT  
5712 S. UNIVERSITY AVENUE  
CHICAGO, ILL. 60637

RECEIVED

APR 15 1964

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

FROM THE PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

TO THE PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

5

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE QUAESTIONE

AN JUDICI SIT INQUIRENDUM IN CAUSAS  
SEPARATIONIS THORI AC MENSÆ,  
MUTUO CONJUGUM CONSENSU  
PETITÆ,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,**

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. atque Juris Rom. et Hod. Doct. Prof. extraord.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

**GEORGIUS JANUS JACOBUS DE CHAUFÉPIÉ,**

AMSTELODAMENSIS.

DIE V JUNII ANNI MDCCCLI, HORA I.




AMSTELODAMI,

APUD J. C. SPIJKER, A.FIL.

MDCCCLI.



M A T R I O P T I M A E,  
C A R I S S I M A E.



*Pium atque dulcissimum mihi restat officium, quo hac occasione fungi mihi liceat. Gratias nempe agere volo ex intimo pectore viris clarissimis quorum scholis interfuisse mihi contigit.*

*Et primum me ad te converto vir clarissime J. VAN HALL, promotor aestumatissime! Sinas, precor, ut discipulus quondam tuus hic palam profiteatur, quantum tuo auxilio, tuae benevolentiae debeat, pro quibus gratum te animum habere numquam desinet.*

*Neque te silentio praeterire possum, vir clarissime M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN. Licet plane diversam*



---

*defendis sententiam ab ea quam in hoc specimine tui-  
tus sum, tamen mihi consiliis et eruditione tua quam  
maxime profuisti. Accipe pro his sinceram meam gra-  
tias, quae ex intimis medullis profluunt.*

*Et tu vir clarissime G. A. DEN TEX! In toto studi-  
orum meorum stadio mihi affuisti adhortator et auxi-  
lium; fidem habeas, precor, grato erga te meo animo.*

*Sit vobis vita felix, et Deus O. M. vos diutissime  
servet et tueatur incolumes atque salvos.*

---

---

## INTRODUCTIO.

---

Codicis Napoleontis articulus 233 statuebat matrimonium posse dissolvi mutuo consensu conjugum. Per triginta fere annos hoc divortium mutuo consensu in patria nostra viguit, et experientia horum annorum forsitan docuit, hocce praeceptum non ita improbandum esse, tantopere bonis moribus noxium, quam nonnulli contendunt. Nitebatur autem placitum illud regula notissima, quodcumque eodem modo dissolvi, quo colligatum est; et licet matrimonium plane et omnimodo ceteris contractibus exaequare non velimus, tamen non alieni sumus ab illa regula etiam ad matrimonium applicanda. Sed quomodocumque ea de re existimetur, art. 263 codicis nostri disertis verbis contrarium statuit, divortium nempe numquam locum habere posse mutuo consensu conjugum. Licet tamen

lex nostra sic aperte statuerit, divortium eo modo locum habere non posse, tamen dedit occasionem conjugibus, quibus vinculum matrimonii ferre intolerabile factum esset onus, per viam indirectam ad idem propositum perveniendi, cum titulo XII libri primi Codicis causis, ob quas separatio mensae ac thori peti potest, etiam annumerat mutuum consensum, et iisdem conjugibus qui sic mensa ac thoro separati sunt permittit, post 5 annos dissolutionem matrimonii petendi. Sed ne sic locum daret matrimoniis leviter contrahendis et aeque leviter dissolvendis, voluit legislator separationem peti non posse, nisi multis ritibus observatis, quos omnes diligenter enumerat.

Magna autem est quaestio in jure nostro, an, si separatio mensae ac thori mutuo consensu rogetur a conjugibus, omnibus ritibus lege definitis observatis, judici incumbat officium, hanc separationem petitam semper pronuntiandi, an vero ab ejus arbitrio pendeat et illi solum data sit facultas pro cujusque causae circumstantiis, separationem recusandi vel permittendi. Varie hac in re judicavere viri docti et magna est eorum opinionum diversitas.

Cum autem propositum sit nostrum, in hoc specimine, illam quaestionem ex industria tractare, et omnibus argumentis hac in re propositis bene perpensis, nostram opinionem de hac quaestione defendere, primo videbimus quae sint variorum scriptorum hac in re

sententiae, deinde historiam hujus legis tractabimus, et ex illa legislatoris voluntatem bene indagare possumus; denique in ultima parte hujus opusculi nostram opinionem exponemus, omnibus illis argumentis adstructam quibus dubia illorum, qui contrariam tuentur opinionem, refutare et e medio tollere possemus.

---

## CAPUT PRIMUM.

---

### VARIORUM SCRIPTORUM HAC DE RE SENTENTIAE.

Quaestionem tanti momenti varie a variis scriptoribus agitatum esse nemo mirabitur. Et cum non omnes eundem sequantur modum leges interpretandi, facile est intellectu ad diversas consequentias ductos esse illos scriptores. Priusquam autem rationes exponemus cur nostram hac in re tueamur opinionem, breviter horum scriptorum sententias enarrare conabimur.

Primus qui hanc quaestionem tractavit, vir consultissimus A. DE PINTO <sup>1</sup>, contendit, solum facultatem esse datam judici eo modo matrimonium dissolvendi separatione thori ac mensae, sed illum nullo modo ad hoc faciendum cogi posse. Addit ex interpretatione sola articuli fortasse praesumi posse, officium dissolvendi matrimonium incumbere judici, sed historiam legis cuique plane persuadere rem ita non sese habere.

---

<sup>1</sup> Handl. tot het B. Wetb. 2de ged. § 174.

Audiamus illum ita dicentem: Moet de scheiding worden uitgesproken, wanneer het huwelijk meer dan twee jaren bestaan heeft en overigens aan al de formaliteiten voldaan is? Men zou dit misschien uit de woorden van art. 291—295 eenigzins kunnen opmaken, ofschoon eerstgemeld artikel alleen zegt, dat zij *kon* plaats hebben; maar uit de toelichtingen van Regeringswege gegeven, blijkt het tegendeel duidelijk; de regter moet de redenen, door de partijen tot staving van haar verzoek bijgebracht, onderzoeken en dan naar bevind van zaken de scheiding toestaan of weigeren. Maar wat als de echtgenooten *geene bepaalde oorzaak* hebben opgegeven, zooals zij dit niet behoeven te doen, volgens art. 291? De regter kan dan zeker wel geene oorzaak onderzoeken; de scheiding blijft echter facultatief; noch het artikel, noch de zoo even gemelde verklaring onderscheidt.

Consulto ipsa verba viri Consultissimi DE PINTO citavimus, quia ex ipsa hoc argumentatione patet, quam infirma et parvi momenti sint argumenta ab illis allata, qui contendunt hunc articulum modo agere de *facultate* judicis, non de *officio*. Ipse vir cons. DE PINTO affert argumentum gravissimum contra suam opinionem, nempe conjuges non teneri ad significandas causas, propter quas separationem rogant, judicem ergo illas causas dijudicare non posse; sed difficultatem hujus objectionis non solvit; pergit eadem dicens, nihilominus

modo de facultate judicis agit, hic articulus. Eandem opinionem etiam defendit vir consult. DE PINTO in Themis I p. 257, ubi aggreditur virum consultissimum S. P. LIPMAN, qui in opere suo „Burg. Weth. vergeleken met het Romeinsche en Fransche regt”, contrariam tuitus est opinionem. Sed cum non alia argumenta ibi afferat, et modo ex historia legis, probationem sententiae suae haurire vult, silentio illum locum praeterire possumus.

Magis ex industria hanc quaestionem tractavit vir amplissimus G. DIEPHUIS<sup>1</sup>, qui sic articulum nostrum interpretatur. Cum in coetu delegatorum, tempore quo hic articulus 291 agitabatur, nonnulli significaverunt desiderium, in ea lege esse definiendos casus, in quibus judici liceret recusare actionem, a regis ministris responsum est, hoc esse relinquendum arbitrio Judicis. Ergo, ait DIEPHUIS, sunt casus in quibus judici licet hanc actionem recusare, et eos casus dijudicare est judicis; sed qui sunt illi casus? Articulus noster sicut legis historia eos non enumerat, igitur interpretatione illos excogitare debemus. Causae propter quas conjuges separationem rogant, cum judici ignotae manere possint, illas dijudicare vel tunc illas approbare et rejicere judici non licere, recte animadvertit idem

---

<sup>1</sup> Het Nederlandsch Burgerlijk Regt naar de volgorde van het Burg. Weth. II. p. 91. No. 184.

scriptor. Sunt igitur alii casus, et illos enumerat. Putat primo loco iudici licere recusare actionem separationis mensae ac thori, cum conjuges nondum per duos annos conjuncti fuerunt, quod patet ex actu matrimonii (huwelijksacte). Secundo, cum conjuges non ipsi in persona ad iudicem venerint; si autem cognati vel agnati non venerint, hanc ob rem facultatem datam non esse Iudici recusandi actionem, cum lex ipsa statuerit sufficere eos vocatos esse, recte animadvertit. Tertio, si conjuges non actu publico omnes conditiones separationis stipulati sint; vel si hoc fecerint Iudex hunc contractum dijudicare potest; nam licet illas conditiones statuere possint, eo modo quo velint, tamen Iudicis est investigare, an nihil statuerint vel contra bonos mores, vel contra ordinem publicum, vel an nihil omiserint, de quo stipulari debebant; et si hoc vel illo modo contra ea peccaverint, licet Iudici separationem rogatam recusare.

Quartum casum invenit DIEPHUIS, quo Iudicem non oportet, rogatam separationem sententia sua approbare, quando Iudex ex verbis conjugum, vel quocunque alio argumento colligit separationem hisce conjugibus necessariam non esse.

Quod ad tres primos casus pertinet, plane assentior scriptori, sed quod ad quartum, non ita plane cum eo facere possum. Cum Iudici causa ignota sit, cur separatio rogetur, non ex verbis conjugum efficere potest,



an necessaria sit separatio, nec ne; atque illius non est, hoc dijudicare; sufficit ut rogetur separatio mutuo consensu; lex nusquam dat Judici hanc facultaten iudicandi de necessitate separationis. Etiam argumenta ab illo allata ad probandam hanc sententiam, mihi nullo modo de veritate ejus sententiae persuadere possunt. Primum argumentum est, quod articulus noster facultative loquitur; de hac verborum significatione infra loquemur. Deinde quod art. 258 b C. C. dat Judici facultatem, per sex menses sententiam suam suspensam tenere, cum videberit fieri posse, ut conjuges cum se invicem in gratiam redeant. Quidquid de illo interpretandi modo per analogiam dici potest, maximus illius fautor tamen nunquam ex hoc articulo per analogiam probare poterit, ita esse interpretandum articulum nostrum. Ipse vir Amplissimus DIEPHUIS vidit, hanc argumentationem esse parum firmam, et idcirco addit, postquam enumeravit quae contra hoc argumentum objici possunt: „immers heb ik die wetsbepaling alleen aangevoerd, om aan te toonen dat zoodanige beschouwing van het verhoor aan de wet niet geheel vreemd is; overigens derzelve aannemelijkheid ter dezer plaatse grondende op de facultative uitdrukking van art. 291 a. B. W.” Quia enim antequam divortium sententia sua approbat, per sex menses sententiam suspensam tenere potest, non est ratio, cur recusare illi liceret separationem thori ac mensae mutuo

consensu petitam. Diceremus potius, quia illi data est haec facultas sententiam suspensam tenendi, ex hoc ipso patet illi non datam esse facultatem pro arbitrio separationem recusandi vel approbandi, quia tunc necesse non esset in suspenso tenere sententiam.

Etiam inconsequentia totum laborat systema viri amplissimi DIEPHUIS, hoc ultimo casu addito. Tres primi ab illo enumerati casus nullo modo pertinent ad causas cur separatio rogetur, et dicit quoque illas causas a Judice non esse dijudicandas cum illi ignotae manere possunt, et tamen ultimo casu addit Judici esse dijudicandum, an necessaria sit, nec ne, separatio rogata illis conjugibus.

Ita etiam judicavit vir clarissimus C. W. OPZOOMER,<sup>1</sup> cujus opinioni in hac quaestione plane assentimur. De hoc ultimo casu a viro amplissimo DIEPHUIS addito, ita censet: „Mr. DIEPHUIS is zich zelven niet gelijk gebleven. Eerst ijvert hij tegen het ook door ons bestreden gevoelen, en noemt voor de weigering des regters de drie redenen op, die wij aanwezen, en dan weder voegt hij er een vierde bij, gegrond op de geheel facultatief gestelde bewoordingen van ons artikel, en meent dat de regter de scheiding kan weigeren, wanneer hij uit de woorden en

---

<sup>1</sup> Het *Burgerlijk Wetboek*, aantekening op de artikelen, die thans nog verklaring behoeven, p. 151.

geheele handelwijze der echtgenooten tegenover elkan-  
der het besluit opmaakt, dat de band des huwelijks  
de verplichting tot zamenwoning voor hen niet ondra-  
gelyk en de scheiding niet noodzakelyk is. Hoe toch  
zulk een besluit mogelijk zou zijn, zonder dat hij  
onderzoek heeft gedaan naar het bestaan van geldende  
oorzaken, en het hem daaruit gebleken is dat zij  
inderdaad niet bestaan, is ons onbegrijpelyk." *Plane*  
*contrariae opinioni favet in eodum opere vir clar.*  
*OPZOOMER*, qui censet tunc demum licere *Judici* re-  
cusare actionem separationis mensae ac thori rogatae,  
si aut conjuges non per duos annos conjuncti fuerint,  
aut si omnes ritus lege definiti non sint observati.<sup>1</sup>  
Etiam ibi opinionem viri cons. *DE PINTO* aggredi-  
tur, et duo illius argumenta quibus probare vult,  
modo facultatem *Judici* datam esse, et non illi incum-  
bere officium, nullius esse valoris, contendit. Primum  
argumentum, ex historia legis haustum, repudiat vir  
clar. *OPZOOMER*, qui systemati favet, legem non ex  
historia sed ex se ipsa esse interpretandam, cum dis-  
cussiones et deliberationes in coetu delegatorum habitae  
neque ipsae leges sint, neque vim legis habeant. Illam  
autem historiam legis nos ipsi infra ex industria trac-  
tabimus. Alterum vero argumentum ex interpretatione

<sup>1</sup> His adderemus, si non constat consensus mutus utriusque  
conjugis, licet huic objici possit, simul ac hic consensus non adest,  
non amplius esse separationem mutuo consensu.

ipsa haustum, rejicit, cum ostendit verbis articuli aliam esse significationem, et legislatorem usum esse voce, *kunnen*, non ut Judici facultatem daret et libertatem actionem recusandi, vel separationem sententia sua approbandi pro suo arbitrio; sed quia in illo ordine, quo hic articulus invenitur, nulla alia voce uti poterat. Sic enim ait, p. 150: „Hij grondt dat gevoelen op de woorden van ons artikel, volgens welken de scheiding niet *moet* maar *kan* worden uitgesproken en op de toelichtingen van regeringswege gegeven. Geen dezer beide argumenten kan ons overtuigen. Het laatste niet; omdat het niet uit de wet geput is; het eerste niet, omdat men na de opgave der oorzaken, op grond van welken het vrijstaat, de scheiding te vragen, wel geene andere redactie verwachten kon, dan deze, dat de scheiding ook zonder opgave van eenige bepaalde oorzaak, alleen op het verzoek der beide echtgenooten *kan* worden toegestaan, zonder dat daaruit de magt des regters zou volgen, om naar bevind van zaken haar te verleenen of te ontzeggen. Daarbij is de zwaarigheid, door den schrijver zelven erkend, zoo groot, en omvat zoo zeer alle gevallen, dat zij de geheele beslissing omverwerpt. Behoeven de echtgenooten bij hun verzoek nimmer eenige bepaalde oorzaak op te geven, dan kan het regterlijk onderzoek naar eenige oorzaak ook nimmer te pas komen?”

Viri Cons. ASSER<sup>1</sup> opinionem hinc citare nobis quoque liceat. In § 188—190 vocat separationem mensae ac thori art 291 separationem per contractum voluntarium, neque totum hunc actum *litem*, sed *contractum*. Porro in § 190 etiam habet omnia ea, quae lex eo consilio statuit, ne animi levitati indulgentes conjuges, hocce legis placito abuterentur. Inter omnia ea non enumerat facultatem Judicis actionem recusandi, cum illi videantur causae separationis non satis graves neque idoneae, et ex hoc quod illam facultatem non citat, quod sine ullo dubio fecisset, si putasset illam esse Judicis datam, me iudice, patet, etiam illum Jctum non credidisse, modo facultatem datam Judici, sed illi necessitatem esse impositam.

Huic opinioni etiam adhaesit vir Cons. VERNEDE nam eandem sententiam tuetur, dicens: „De echtgenooten niet gehouden zijnde eene bepaalde oorzaak voor hun verzoek op te geven, zoo kan de regtbank geen onderzoek doen naar de redenen, om welke door de echtgenooten deze scheiding wordt gevraagd, noch het verzoek om scheiding weigeren, uithoofde hun de redenen niet voldoende voorkomen.” Pergit ad eundem articulum refutando vir Cons. DE PINTO et DE MARTINI, qui ad hunc articulum eandem tuetur sententiam, ac DE PINTO, et hoc facit iisdem argu-

<sup>1</sup> ASSER, het *Nederl. Burg. Wetb.*, vergeleken met het *Wetb. Nap.*, § 188 sqq.

mentis, quae jam in scriptis aliorum ICtorum invenimus, nempe legem admittere, fieri posse ut Judex recuset actionem, sed eum hoc facere non posse, quia causa separationis illi minus idonea videtur, quia illam causam tacere possunt conjuges; sed cum ritus lege definiti non observati sunt, vel si conjuges non omnibus iis placitis legis paruerunt, quae legislator instituit, ne conjuges nimis leviter hanc separationem peterent.

Nobis restat ut adhuc referamus opinionem viri Cons. R. A. QUINTUS<sup>1</sup>, qui censet, verba addita in articulo nostro *nulla allata causa determinata* ita generaliter posita esse, ut nullam sinant exceptionem, et ex his arguit, cum Judex illas causas cognoscere nequeat, illi incumbere officium, separationem mensae ac thori sententia sua approbandi, si conjuges consentiant, et si omnes ritus legitime observati sint. Legimus enim pg. 37 „Haec verba (*nulla allata causa determinata*) ita generaliter sunt posita, ut nullam admittant exceptionem; conjuges nullam causam afferre tenentur, et Judicis igitur non est in causam inquirere, quia caeteroquin lex conjugibus altera manu jus aliquod daret, altera iis adimeret.” Et porro pg. 39 „Legislatoris igitur verbis et menti contraria est eorum opi-

---

<sup>1</sup> R. A. QUINTUS, Dissertatio jurid. inaug. de separatione thori ac mensae, praesertim de ea quae fit mutuo conjugum consensu, (Gron. 1840) pag. 36 *sqq.*

nio, qui ponderare causam separationis mutuo consensu petitaë, Judicibus licere putant." Vidimus ita in hoc Capite, quaenam sint variorum scriptorum de hac quaesitione sententiæ; nostram opinionem nunc profiteri et argumenta quibus nititur afferre, nobis nunc est faciendum. Antequam autem hoc faciamus, primo breviter legis historiam illustrare conabimur.

---

## CAPUT SECUNDUM.

---

### HISTORIA LEGIS.

Scire leges non est verba tenere, sed eorum vim ac potestatem, jam olim et recte dicebant Romani JCTi; et ex hac regula jam vidimus, nos numquam hunc articulum intelligere posse, si modo illum etiam atque etiam perlegamus; sed necesse esse, ut ad ipsos fontes legis, ad ipsas rationes quae legislatorem movere, cum hancce legem composuit, penetremus; et si hancce historiam legis bene tenemus, tunc demum recte judicare poterimus, quid sibi legislator in hoc articulo voluerit. In utroque specimine legis, et anni 1816 (art. 495—498) et anni 1820 (art. 455—458), hocce legis praeceptum inveniebatur, quod sinebat, matrimonium dissolvi separatione mensae ac thori *mutuo consensu* conjugum. Hoc enim in illis legibus statutum erat, licere conjugii, contra quem separatio mensae ac thori rogabatur, ad hanc separationem consentire, et porro conjugibus licere conditiones statuere, sub quibus hanc separationem mensae



ac thori accipere vellent. Sed etiam exigebat lex ut satis graves adessent causae, ab una vel altera parte, ut iudex in sententia sua rogatam mensae ac thori separationem approbare posset. Illas causas satis graves omisit lex hodie vigens, anni 1838, et etiam addidit, *conjuges non teneri ullam significare causam*, cur hanc separationem rogent. Causa cur legis placitum ita mutatum sit, et cur legislator tam expressis verbis addiderit, *conjuges non teneri causas significare*, cur separationem rogent, etiam ex ipsa legis historia patet. Legislator Francicus in Codice Civili admiserat divortium mutuo consensu; statuebat enim conjugibus licere sub quibusdam conditionibus matrimonium suum dissolvere, si uterque hanc in rem consentiebat; hoc legis placitum in codicem nostrum receptum non est. Legislator noster videbat, quantopere omnibus caeteris contractibus gravitate et sanctitate praestet matrimonium, et licet matrimonium consensu contrahatur, non volebat vinculum ita religiosum, tam facile distrahi posse. Sed simul cuique manifestum est, nuptias contrahi posse, quae postea tam infelices reddunt conjuges, quae tam graves et nefastas post se trahere possunt consequentias, ut multo melius esset tale vinculum distrahi. Idcirco separationem instituit mensae ac thori. Sed quia divortium mutuo consensu non admisit legislator, idcirco non voluit nullo modo divortium esse admittendum. Sunt enim causae quae natura sua, ut ita dicam, matrimonium dissolvunt, et ob eas divor-

tium rogare licere conjugibus, statuit. Causas illas enumeratas legimus, art. 264 Cod. Civ., adultarium; quando unus conjux alterum reliquit animo non redeundi; vel si alter conjugum infamia notatur poena illata; vel denique alter conjugum alterum vulneraverit, vel ita male habuerit ut in periculo mortis versatus sit. Illas ob causas licitum est conjugibus rogare a judice sententiam, qua matrimonium dissolvitur. Saepe tamen evenit, ut conjux, qui secundum hunc articulum divortium rogare potest, hoc non faciat, sive amore alterius conjugis ductus, sive quod evitare vult, opprobria, quae nomini suo inhaerere possent, si omnia illa, quae in domo sua facta, causam dedere sententiae a judice postulandae, publice nota essent; ut ita non accideret ut conjugi laeso vel magnanimitas, vel amor pacis, vel verecundia sui nominis obstaret, ut illi jus fieret, statuit legislator, illi licere non divortium, sed separationem mensae ac thori postulare, et in hoc casu non oportere ullam significare causam, cur hancce rogaret separationem. Sic non amplius cogitur cohabitare cum conjuge a quo laesus est, et simul omnia evitare potest incommoda quae inhaerent actioni publicae ad divortium.

„Ten einde,” sic ajebant regis ministri, „schadelijke en voor de partijën onteerende processen te vermijden, heeft men gedacht, dat er geene reden bestond om niet aan partijën den weg open te laten,

„om te zamen des regters tusschenkomst ten dezen in  
„te roepen.”<sup>1</sup>

Eundem sensum praebent verba viri Celeberrimi  
NICOLAI „L'on ne doit pas s'imaginer, que l'intention  
„du législateur soit d'offrir des moyens faciles de sé-  
„parer ceux, qui devraient êtres unis jusqu'à la mort.  
„Mais l'on sait qu'au nombre des causes déterminées,  
„il s'en trouve quelques unes, qui, pouvant entraîner  
„des suites funestes pour l'époux coupable, empê-  
„cheront l'époux innocent et malheureux, d'en faire  
„l'objet d'une poursuite judiciaire. L'un endurera les  
„tourments les plus cruels, il supportera le joug le  
„plus pesant, plutôt que d'exposer l'autre aux évène-  
„ments d'une dénonciation, presque toujours scandaleuse,  
„ou d'une condamnation souvent inévitable”<sup>2</sup>.

Sed licet mutuus consensus essentialiter requiratur,  
ad postulandam hanc separationem, multi tamem sunt  
ritus, qui observari debent, et his non observatis licet  
judici recusare sententia sua separationem rogatam ap-  
probare. Hanc esse significationem vocis *kan de regter*,  
me judice, non solum ex interpretatione articuli sed  
etiam ex sana ratiocinatione et ex historia manifestum  
esse videtur. Cum enim in Coetu delegatorum ad art.  
296 Cod. Civ. rogabatur in quo casu judici liceret re-

<sup>1</sup> MR. J. C. VOORDUIJN, *Geschiedenis en beginselen der Neder-  
landsche Wetboeken*, II. 486.

<sup>2</sup> MR. J. C. VOORDUIJN, o. c., II. 438.

cusare actionem, responsum est a regis ministris, hoc difficile lege definiri posse et Judicis arbitrio esse relinquendum; ex hoc nonnulli efficere voluere, fuisse consilium legislatoris, Judicibus dandi facultatem actionem recusandi vel non; sed si hoc admittimus, tunc legislator daret Judici potestatem dijudicandi causas ob quas separatio rogatur, et simul statueret lex, nullo modo cogi posse conjuges ad illas causas significandas. Judex ergo de aliqua re judicare deberet, quae illi ignota manere deberet. Et regis ministri, et delegati sciebant in eodem articulo statutum esse causas ob quas separatio rogatur ignotas manere judici. Quum igitur loquuntur de casibus, in quibus judici licebit recusare sententia sua, vel approbare rogatam separationem, modo loquuntur de illis casibus, qui Judici cogniti sunt, de quibus judicium ferre potest, et sola quaestio cui Judex respondere potest, haec est, *an constet, utrumque conjugem consentire, et an omnes ritus observati sint.* Si Judici hoc manifestum est, et conjuges consentire, et ritus observatos esse omnes, non solum *potest* sed quoque *debet* separationem mensae actori rogatam, sententia sua approbare. Legis placitum etiam exigit, ut conjuges *ambo in persona* ad Judicem veniant; cujus praecepti ratio haec est, ut Judex se persuasum habeat, utrumque conjugem ad separationem consentire; magni momenti igitur sunt verba ejusdem delegati NICOLAI: „Ainsi les époux se-

„ront obligés de se présenter en personne devant les  
„magistrats, qui leur feront toutes les observations  
„nécessaires, tant sur la gravité de leur résolution,  
„que sur les suites plus graves encore: et de cette  
„manière, le juge s'assurera, s'il existe réellement une  
„cause peremptoire de séparation”<sup>1</sup>. Illa causa tamen  
peremptoria de qua Judex sententiam ferre potest, sola  
est in hac quaestione, an constet utrumque conjuges  
consentire ad separationem nec ne; cum in eodem arti-  
culo legimus non teneri conjuges ad significandam  
causam cur separationem rogent (et jam supra vidimus  
cur legislator hoc ita statuerit). Non solum ex ea ra-  
tificatione, sed etiam aliunde patet delegatum NICOLAI  
locutum esse solum de ea causa peremptoria, an con-  
stet, conjuges ambos consentire. Cum enim deliberatum  
est in Coetu delegatorum de art. 288, idem NICOLAI  
dixit (6 Julij 1822) ad hunc articulum „les causes dé-  
terminées de la séparation de corps sont: l'adultère,  
l'abandon, la condamnation à une peine infamante,  
prononcée après le mariage, les sévices de l'un des  
époux qui mettent en péril la vie de l'autre, les excès,  
les injures graves, *la demande faite conjointement par  
les deux époux*”<sup>2</sup>. Inter causas separationis enumerat  
hunc mutuum consensum conjugum, et de illa causa  
eum loqui manifestum est, quia postea ipse dixit, sac-

<sup>1</sup> Mr. J. C. VOORDUIJN, O. C. II. 489.

<sup>2</sup> Mr. J. C. VOORDUIJN, O. C. II. 482.

pe evenire conjuges ob alias causas ac hic enumeratas separationem rogare posse, sed eos hoc facere mutuo consensu, ut illas causas tacere possent, quae fere semper bonae famae conjugum obnoxia sunt.

Nunquam igitur ille delegatus de alia causa loqui poterat, et ex hisce verbis nunquam effici potest, legislatorem dare voluisse Judici facultatem actionem recusandi, si illi viderentur minus graves et idoneae causae, ob quas separatio rogaretur. Hancce nostram opinionem facultatem recusandi actionem, modo datam esse Judici, si vel consensus conjugum non constat, vel si ritus omnes observati non sunt; et alioquin Judicem teneri, et cogi posse ad probandam separationem rogatam sua sententia, etiam magis probatam videmus verbis libelli missi a sectione centrali (verslag van de centrale afdeeling) quae hic afferri inutile opus non videbitur. „Art. 9 (nu 296) kent aan „den hoogerem regter de hervorming van de uitspraak „der regtbank toe; er is dus geene andere reden om „het verzoek af te slaan, dan in de omstandigheid, „dat hetzelfde gedaan wordt, *vóór het einde der twee „jaren*. Eene *bepaalde* oorzaak behoeft niet opgegeven „te worden, en kan dus tot geene reden van weigering verstreken.”<sup>1</sup> Ex hisce verbis lucide patet, fuisse consilium horum delegatorum, non ut modo facultas daretur Judici, separationem approbandi sententia sua, sed quam maxime, ut illi incumberet hoc officium. Per-

<sup>1</sup> VOORDUJN, O. C. II. 487.

git haec relatio ita „hierom had de afdeeling verlangd „dat bij de wet bepaald ware, de gevallen, waarin „zoodanig verzoek van beide de echtgenooten, door de „regtbank of door den hoogeren regter zoude hebben „mogen afgewezen worden.” Hoc autem factum non est, et casus in quibus judici licet hanc actionem recusare, lege definiti non sunt, et a regis ministris solum responsum est, hoc relinquendum esse arbitrio iudicis. Huic arbitrio autem relinqui non potest dijudicare causas, propter quas rogatur separatio, cum illae a conjugibus non significantur. Ad illos igitur hoc responsum regis ministrorum extendi nequit, et modo referri potest ad quaestionem supra jam dictam, an consensus conjugum constet, et an ritus omnes observati sint.

Ex historia igitur legis nobis apparet, vocem *kan* in articulo nostro non significare judici datam esse facultatem dijudicandi, an causae cur separatio rogetur satis graves et idoneae sint, et illius arbitrio relictum esse, hanc separationem approbare sua sententia nec ne; sed hoc modo illius iudicio relictum esse, dijudicare an constet, utramque conjugem consentire, et an ritus omnes observati sint et si huic questioni affirmando respondere debet iudex, tunc illi non solum facultas, sed quoque officium incumbit, hanc separationem approbandi.

---

## CAPUT TERTIUM.

---

### QUID DE ILLA QUAESTIONE EXISTIMANDUM VIDETUR.

Postquam sic vidimus, quaenam sint hac in re variorum scriptorum sententiae, et quaenam ipsa historia legis nos de hac quaestione doceat, nobis restat ut breviter exponamus, quomodo haec quaestio solvenda sit, et quibus argumentis nostra opinio probari possit.

Consilium legislatoris cum separationem mutuo consensu instituebat, duplex erat; dare voluit occasionem illis conjugibus, qui aut divortium, aut separationem thori ac mensae ob causas determinatas rogare possent, hoc autem nollent, ob opprobria et incommoda quae actioni publicae inhaerent, omnia mala matrimonii et simul dissolutionis publicae hujus matrimonii evitandi; idcirco statuit illis licere mutuo consensu rogare separationem thori ac mensae, simul addens eos non oportere significare causas ob quas illam separationem rogarent.



Alterum consilium legislatoris hoc erat: licet nollet ansam dare dissolutioni matrimonii ob levissimas causas, et bene perspexerit esse contra bonos mores, illos, quos religiosa sanctitas matrimonii per totam vitam conjunxerit, licere, cum sibi non amplius placerent, hoc matrimonium irritum reddere, et sic mobilitas ingenii et levitas animi praevaleret vinculis, quae religio, ecclesia, boni mores, ordo publicus et salus societatis, si non aeterna, tamen sancta et firma esse habenda volunt; et cum ab altera parte bene intellexerit legislator esse causas, quae a priori enumerari non possunt, quae tamen matrimonium infelicissimum reddere possunt, et ansam praebere domesticis rixis, et omnibus illis tristibus sequelis vinculi, quod utrique conjugum grave et intolerabile est; et saepe sic accideret, ut conjuges finem non implerent matrimonii, quae est procreatio liberorum, vel etiam nonnumquam in conditione illa infelicissima fieri posset, ut facilius immemores fierent jurisjurandi, quod juraverunt, sibi invicem fidem se habituros esse; ob omnes illas causas voluit legislator et hisce conjugibus dare occasionem, se invicem relinquendi, et omnia mala illius matrimonii evitandi, cum simul desineret hoc matrimonium habere sequelas civiles. Sed ne haec licentia esset praemium, ut ita dicam matrimonii leviter contrahendis, ob illas causas noluit, conjugibus licere divortium petere, sed modo separationem mensae ac thori, et in hoc casu quoque

illis dat licentiam, causas cur illam separationem rogent tacendi, si modo mutuo consentiant ad illam separationem rogandam. Hoc erat duplex consilium legislatoris.

Videamus nunc quibus verbis hanc suam voluntatem expresserit; sic ait art. 291 Cod. Civ. „Scheiding „van tafel en bed kan ook door den regter worden „uitgesproken, op het verzoek, door de beide echtge- „nooten te zamen gedaan, zonder dat deze gehouden „zijn eene bepaalde oorzaak op te geven. Zoodanige „scheiding zal niet kunnen worden toegestaan, tenzij „de echtgenooten gedurende den tijd van twee jaren „zijn gehuwd geweest.”

Primum vidimus ex ipsis verbis hujus articuli, quae non aliam sinunt interpretationem, nihil referre quae- nam sit causa, cur hanc separationem rogent conjuges, cum semper et in omni casu non tenentur, hanc causam significare, vel imo ex his verbis patet, etiam conjugibus licere separationem rogare cum nullam habeant causam, ob quam hanc separationem petant, nam si illis licet causam tacere, idem illis licet petere cum nulla adsit causa, eodem res enim redit, cum causa ignota maneat judici, qui separationem sententia sua approbare debet. Et ratio cur illa causa separationis ignota manere debeat in promptu est, quia, ut ex historia patet, etiam illis conjugibus hic modus dissolutionis matrimonii datus est, qui jus ha-

bent divortium petendi ob causas determinatas et lege definitas, sed qui malunt separationem rogare, ea conditione, ut ignota maneat causa, cur illam petant. Non possumus etiam quin miremur quod a tribunali Amstelaedamensi alio sensu lata sit sententia,<sup>1</sup> quae ita palam pugnat et cum verbis articuli et cum consilio legislatoris ex historia legis cognoscendo, ut hic rationes illius sententiae describendae visae sint.

„Overwegende, dat de Wet, behalve de bepaalde oorzaken, die een' der echtgenooten het regt geven, om eene scheiding van bed en bijwoning te vorderen, ook nog bepaalt, dat eene dergelijke scheiding zoude kunnen worden toegestaan door den regter, op verzoek van beide partijën;

„Overwegende, dat het verlangen van de partijën, om van tafel en bed en bijwoning gescheiden te worden, niet de éénige rigtsnoer des regters kan zijn, maar dat, schoon de reden, die voor de scheiding wordt opgegeven, niet behoeft te vallen in de termen van art. 288 Burg. Wetb., er echter eene evenzeer geldige reden moet bestaan, die eene scheiding noodig, of immers zeer wenschelijk doet voorkomen, indien dezelve zal kunnen worden toegestaan;

„Overwegende dat partijën, bij hun verzoek tot scheiding, geene andere reden opgeven, dan dat hunne

---

<sup>1</sup> *Regtsgel. Bijblad*, IV. pag. 772.

humeuren niet overeenkomen, waaruit huisselijke twisten geboren worden;

„Overwegende, dat deze reden volstrekt geene geldige reden te achten is, om daarop eene scheiding uit te spreken, maar dat het voor de goede zeden zeer nadeelig zoude zijn, den band des huwelijks krachteloos te maken, om eene reden, die te allen tijde door iedereen kan worden voorgewend, nooit voldoende te bewijzen is, en slechts het masker kan worden van allerlei oorzaken, die de echtgenooten zich zouden schamen te erkennen.”

Ab hac sententia etiam appellatum est, et arrestum curiae Provinciae Hollandiae ad diem 19 Aug. 1839, quod illam rescidit, plane alio sensu latum est.<sup>1</sup>

Semper igitur, et in omnibus casibus, in quibus separatio mensae ac thori rogatur, ignotae manent, aut saltem manere possunt causae, cur separatio petatur, et hoc urgemus, quia hac in re cardo quaestionis invenitur, et hoc fundamento nititur opinio nostra, non solum datam esse facultatem judici sed etiam illi incumbere officium, mutuo consensu rogatam separationem sententia sua approbandi. Nam si ignotae manent causae separationis petitae, illas dijudicare iudex non potest; nam iudicium ferre de aliqua re nobis ignota, et secundum illud iudicium aliquid recu-

---

<sup>1</sup> *Nederl. Rechtspraak*, IV. pag. 388. *Weekbl. van het Regt*, No. 33.

sare vel approbare non est jus, non est opus judicis, sed injuria, arbitrium et licentia. Nulla regula excogitari potest, secundum quam judici agendum esset, si in re sibi plane ignota iudicium ferre deberet, et in ejus potestate esset, diversis conjugibus qui ob eadem causas idem rogarent, diversam dare sententiam, dum simul nullam posset allegare rationem, cur ita et non aliter judicaret.

Sed, dicunt hujus opinionis adversarii, ex art. 296 manifestum est, tamen judici licere rogatam separationem recusare cum in eo articulo invenitur: „Bij weigering van de gedane aanvraag, kunnen de echtgenooten te zamen, uiterlijk binnen een maand na de rechtspraak, daartegen bij verzoekschrift aan den hoo-geren regter opkomen.” Negare nolumus, neque possumus, existere casus in quibus licet judici recusare actionem separationis, sed contendimus rationes illius recusationis constare posse causis, ob quas separatio rogatur. In eodem autem titulo XII Cod. Civ., legimus quaenam lege requiruntur ad illam separationem, et si his placitis non parvere conjuges, tunc vero potest iudex recusare petitam separationem sententia sua approbare. Si autem hoc ob illam causam fecit Iudex, et conjuges credunt hoc injuria factum esse, et se bene paruisse praeceptis legis hac in re, tunc illis datur occasio ab illa sententia appellandi ad iudicem superiorem. Requisita autem legis quae impleta

esse debent, antequam jure et legitime separatio peti potest, sunt mutuus consensus conjugum ad rogandam separationem, altera conditio est ut per duos annos conjuncti fuerint conjuges (art. 291); deinde ipsi in persona veniant ad tribunal judicis qui hanc causam cognoscere debet, et qui judex illos exhortari debet, ut bene perpendeant graves sequelas illius actus (art. 294); porro ut ab illo iudice audiantur vel saltem ad illum vocentur parentes conjugum adscendentes, et quoque ministerium publicum consultari debet (art. 295); denique actu authentico definire debent conjuges conditiones et quod ad se ipsos, et quod ad liberos ex illo matrimonio progenitos pertinet, quibus separatio fiat (art. 292.)

Hic animadvertendum est, iudici non ita dijudicandum esse illas conditiones, ut eas mutare aut rejicere possit, si illi videntur jura unius conjugis laesa esse, vel si putat conditioni liberorum aliter melius consultum esse. In hoc actu authentico modo dijudicare debet, an omnia definiverint, et an nihil statuerint contra bonos mores, vel quae ordini publico noxia esse possent. Causae tamen ob quas conjuges separationem rogant, et quae ignotae manent Iudici, magnam vim habent ad statuendas illas conditiones separationis, et conjux qui divortium petere posset ob causas lege definitas, sine ullo dubio conditionem conjugis sontis pejorem reddet, quam qui hanc separationem rogat ob nullam causam determi-

natam. Judex judicium hac in re ferre non potest, nisi cognita causa separationis petitaë, et cum ea illi incognita maneat, modo videre debet, ne quid detrimenti capiant boni mores et ordo publicus, erga quos nunquam in stipulationibus peccare licet. Si de omnibus hisce rebus de quibus Judex sententiam ferre debet, non conveniunt et Judex et conjuges, tunc his licet de sententia Judicis appellare ad Judicem superiorem et hic est sensus articuli 296 C. C. qui non, ut nonnulli in errorem ducti putavere, argumentum praebeat opinionis, judicis esse in potestate separationem petitam recusare vel approbare, sed qui modo dat occasionem conjugibus qui se sententia Judicis laesos censent in iis rebus supra memoratis de quibus Judex judicare potest, jus suum tuendi apud tribunal judicis superioris. Sed alia est argumentatio cui primo adpectu major vis adesse videtur, et quae contra nostram opinionem pugnare videtur.

Si enim articulum nostrum perlegamus, videmus: Separatio mensae ac thori mutuo consensu ab utroque conjuge petita, potest quoque a Judice concedi; et porro haec separatio non poterit concedi, nisi cum conjuges per duos annos conjuncti fuerint. Nostrae opinionis adversarii nunc ita ratiocinantur. Dicunt ex voce *posse*, bis repetita, manifestam esse voluntatem legislatoris hic sermonem esse de facultate, non de officio Judicis, nam si de officio loqui voluisset, voce *debere*, non *posse*,

usus fuisset. Diximus primo adspectu videri aliqua auctoritate hoc argumentum praeditum esse sed si totum titulum perlegamus, et videamus in qua conjunctione verborum hac voce *posse* usus sit legislator, tunc statim intelligemus hancce argumentationem nullam vim habere. Primo autem articulo hujus tituli (288) dicit legislator licere conjugibus separationem thori ac mensae petere ob easdem causas ob quas divortium petunt, de facultate loquitur conjugum; porro in eodem articulo enumerat causas ob quas etiam separatio peti *potest*. Etiam tunc utitur voce *posse* et nemo tamen adhuc, hac voce nitens, voluit contendere, hinc quoque de facultate, non de officio Judicis loqui legislatorem, et Judici licere et approbare et recusare separationem hasce ob causas rogatam, licet aequae ac in nostro articulo usus sit legislator voce *posse*. Et cum sic enumeravit legislator casus in quibus peti potest separatio mensae ac thori, pergit et his addidit casum in quo uterque conjux consentiat ad rogandam illam separationem, in quo casu hoc illis aequae licet ac in casibus supra (art. 288) enumeratis. Quicumque eadem dicere voluisset ac legislator usus fuisset hinc voce *posse*, et cum non videam ullam rationem, cur legislator alio sermone uti debeat, quam quo vulgo utuntur privati homines, neque ideo ulla rationem invenire possum, cur hinc aliter loqui deberet, quam vulgo fit, et hinc contra usum linguae nostrae, et contra consuetudinem quam vulgo



sequuntur homines, uti deberet voce *debere* loco *posse*. Huc accedit, ut si hoc fecisset et dixisset, iudicem *debere* separationem mutuo consensu petitam sententia sua approbare, locum dedisset opinioni ac si casibus supra enumeratis ageret de facultate Judicis, in hoc articulo vero voluisset hoc officium incumbere Judici. In his duobus articulis tum inveniretur antithesis, quae quam maxime falsis interpretationibus locum daret. Usus est legislator, ut jam diximus, vulgari sermone, et sic articulum interpretari debemus, eodem modo quo vulgo hoc sermone utuntur privati homines, et eam vocem *posse* non interpretari debemus, ac si sola posita esset, sed conjunctim et ratione habita eorum verborum quae sequuntur et quae praecedunt, et tunc videbimus legislatorem non alia voce uti potuisse, et non ejus significationem esse ut modo facultatem daret aliquam judici, non magis quam in art. 288 hoc significare voluit legislator voce *posse* qua ibi usus est, sed eam vocem esse sequelam totius ratiocinationis legislatoris.


Vidimus igitur ex historia legis et ex ejus ratione aequae ac ex interpretatione articuli nostri, legislatoris fuisse voluntatem atque eum hanc voluntatem lucide articuli nostri verbis significasse, non dandi Judici facultatem aliquid dijudicandi quod illi ignotum manet, et tunc in illa re sententiam ferre pro arbitrato, prout animi ejus indoles hoc secum ferat, sed modo facultatem dedisse judici dijudicandi de quo iudicium ferre po-

test, nempe, an consensu utriusque conjugis haec separatio petatur, et an omnes ritus, quos lex exigit, observati sint, et si haecce omnia manifesta sunt, si conjuges parvum legis praeceptis hac in re, tunc illi imposuit legislator officium separationem thori ac mensae sententia sua approbandi. Non de facultate sed de officio Judicis egit.

Quum sic ausus sim aggredi argumentum tractare de quo summi in patria nostra Icti non conveniunt, et ita audacter dissenserim ab illis viris prudentia et sapientia praeclaris, quos tamquam lumina jurisprudentiae in honore habere solitus sum, nihil aliud mihi restat nisi hoc, ut ingenue fatear, me hoc opus numquam suscepturum fuisse, nisi lex nostra me coegisset ad hoc opusculum conscribendum. Lectorem igitur, si quis erit, enixe precor, ut hujus rei memor sit, neque oblivisci velit esse primum et juvenile opusculum, ut indulgeat multis maculis quae in tali opere non esse nequeunt, et ne a tirone plus poscat quam quod ab illo posci potest, atque etiam etiamque rogo; at illud Ovidianum me excuset quod tam multos jam excusavit.

*Cum desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

TANTUM.



---

## T H E S E S.

---

### I.

Verba Jcti Papiniani in fr 1 D. XX. 2 *ob restitutionem aedificii exstruendi* non extendenda sunt ad refectionem aedificii neque ad navem reparandam.

### II.

Lex de rationibus reddendis a ministris regis, solum ea spectare debet, quae a ministris tantum, neque ab aliis personis committi possunt.

### III.

Erronea mihi videtur sententia eorum, qui illud legis praeceptum, quod Judices non pro lubitu a munere suo removeri possint, etiam ad Judices Cantonnales extendi cupiunt.

IV.

Praeceptum art<sup>l</sup>. 175 Cod. Civ. non extendi debet ad legitimam portionem hereditatis.

V.

Laudandus legislator noster, quod divortium mutuo consensu non omnino e Codice nostro eiecerit.

VI.

Facere non possumus cum iis qui contendunt, iudici inquirendum esse in causas separationis thori ac mensae, mutuo conjugum consensu petitae.

VII.

Sententia tribunalis militiae civilis (Schuttersraad) Amstelodamensis, quae articulum 65 legis anni 1827 ita interpretata est, ac si centurionibus (officieren) non data esset facultas appellandi ad delegatos ex ordinibus Provincialibus, erronea mihi videtur.

VIII.

Si quis minor se obligaverit ad militiam praestandam sine consensu patris, illa obligatio nulla est.

IX.

Recusatio famulorum tamquam testes, quae memoratur art. 1950 3<sup>e</sup> Cod. Civ. spectat famulos, qui tempore litis contestatae litigantibus serviunt, et non etiam eos, qui tempore facti de quo quaestio agitur, uni alterive litigantium operam praestant.

X.

Quum reus in jus vocatus non venerit, et sic subscriptionem scripturae obligatoriae appositam agnoscere non potuerit, judici ex art. 52 Cod. de meth. proc. in Caus. civilibus, non licet jubere executionem provisoriam sententiae.

XI.

Approbatio regis, de qua agitur in art. 36. b. Cod. merc. non requiritur ad Societatem mutuae assecurationis (Onderlinge Brandwaarborgmaatschappij) ineundam.

XII.

Improbandum mihi videtur art. 361 Cod. Crim., quia non distinguitur inter eos quorum testimonium tendet ad levandum et onerandum reum. Falsum enim testimonium ad detrimentum rei gravius puniri debet, quam falsum testimonium in ejus commodum.

XIII.

Crimen infanticidii etiam ab aliis quam a matre committi potest.

XIV.

Quo majoris pretii sunt ea quae ad vitam sustentandam sunt necessaria, eo minoris pretii fit manuum merces.